

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0629

0627

0633

0623

0638

0618

0678

0578

0728

0528

0128

Ende

Anfang

56

in conventibus, propter loci sanctitatem, quem archangelus Michael sua apparitione singulariter sanctificavit, sicut sanctificavit montem Garganum, de quo dicitur fol. 186 Part. 2., ad quem homines de longinquis partibus currunt. Sed sanctificatio hujus loci per angelum multo solennior est, cum canonicae Scripturae testimonio approbetur et verissima et indubitata Michaelis apparitio in hoc loco est facta. Currunt homines et peregrinantur in partes occidentales, usque in mare Britannicum ad quendam S. Michaelis montem, ad videndum quasdam S. Michaelis, ut pueriliter loquar, reliquias et arma, dicentes, sanctum Michaelem arma sua, quibus draconem debellavit, et quibus Josuae in agro Jericho praesidium praestitit, ad eundem montem deposuisse. Et hoc ludibrio non solum pueri, qui in maxima multitudine de omnibus partibus Alemanniae anno 1457 ad eum locum peregrinabantur, decipiuntur, sed etiam senes et sine literis prudentes. De hoc placet mihi quandam experientiam recitare. Quadam vice Ulmam cum socio exivi ad praedicandum in oppido Güntzburg, et in itinere venimus ad quendam peregrinum, qui eadem via descendit, ad quem cum industria me adjunxi et eum, unde peregrinaretur, interrogavi addens, me ipsum fuisse peregrinum in terris alienis, ideo peregrinis magis affectum. Erat enim peregrinus ille vir personatus et industrius, et eloquens de Vienna, sed saecularis indoctus. Respondit mihi: venio, inquit, de longinquis partibus ab oceano, de monte S. Michaelis. Et ego: et quid quaeso ibi quaesivisti et vidistis? Mihi dixit: quae quaesivi, inveni et oculis contemplatus sum, vidi enim in loco gloriosi archangeli Michaelis scutum et gladium, quibus cum dracone Satana in coelo bellum gessit, quibus Luciferum et omnes ejus complices e coelo pepulit, quibus armatus ante Jesum, filium Nave, in agro Jericho apparuit. Ad quem ego: o Frater, illa sunt magna. Quis vobis haec ostendit? Respondit: monachi, albis induti, viri religiosi, haec cunctis ostendunt cum solemnitate, et inde emolumenta pingua habent. Cui dixi: quis tantas reliquias ad locum illum posuit? Respondit: Sanctus, inquit, Michael, postquam diabolum devicit et bellare cessavit, per se ad hunc montem descendit et armamentarium ibi esse constituit, et tempore Antichristi